

Di. Ludovici de Bils toparchae in Koppensdam, Bonem, &c.; Epistolica dissertatio : qua verus hepatis circa chylum, & pariter ductus chiliferi hactenus dicti usus, docetur.

Contributors

Bils, Lodewijk de, 1624-1670.

Publication/Creation

Roterodami : Typis Joannis Naerani, Anno MDCLIX. [1659]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qdjugnfs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4
Dⁱ LUDOVICI DE BILS

Toparchæ in Koppensdam, Bonem, &c.

EPISTOLICA
DISSERTATIO:

Qua verus Hepatis circa Chylum,
& pariter ductus Chiliferi hactenus
dicti usus, docetur.



ROTTERODAMI


ypis JOANNIS NÆRANI, Bibliopolæ & Typographi.

ANNO MDCLXIX.

Explicatio Figuræ Ductus Roriferi.

- a a Rami Axillares & Jugulares, post ligaturam abscisci.
b Portio Venæ Cavæ.
c Receptaculum tortuosum.
d Varij Anfractus & Gyri, in quos contorquetur Ductus, antequam Venam Cavam accedat.
e Ramus Roriferi Ductus, ad Glandulas Pectoris pertingens.
ff Glandulæ in Pectore sitæ.
gg Glandulæ quæ prope Pulmones sunt.
hh Ramus ex Anfractibus Roriferi Ductus simul cum præcedenti accedens Glandulas Pectoris.
i Fissura sive Sciatus, aut separatio quæ cernitur in Rorifero Ductu, circa 5 aut 6 Vertebram Thoracis.
k Ductus Rorifer ab inferiore Diaphragmatis parte, usque ad Gyros & Anfractus.
l Ramus Roriferi Ductus ascendens ad supremam in Collo Glandulam.
m Alius ejusdem Ramus ad infimam Colli Glandulam.
n Surculus Rami (l) superiora versus pergens.
o Superior Colli Glandula.
p Divisiones Rami (m).
q Inferior Colli Glandula.

Quartus Roniferi autis pag: 3.



EPISTOLICA DISSERTATIO.

Amice Domine,

N A N D E M aliquando repetitis humanissimisque tuis Literis victus cedo: Ac venerandam hæcenus abditæ humani corporis structuræ historiam ex parte mortalibus efferre aggredior. Miraberis forsitan hæc tam paucula typis mandata, tibi que dedicata: ast scias, oro, esse (qui, idem, quod tu jam sæpius à me vehementissime petierunt) viros eruditione non ignobiles, prætereâ quoque inveniri homines, qui, nescio quid magni, circa divi Carthesii relictum *Traicté de l'Homme* moliantur in cassum; atque hanc ob causam horum expectationem explere, illorum vero conatus reddere irritos æquum mihi visum fuisse, dum tibi una eademque opera satisfacerem. Quod paucula hæc sint non indignaberis, quia innotescunt omnibus: scis etenim jam minus generose & candide arcana summis impensis laboribusque acquisita licere in lucem edere, quippe perversus ille hodierni temporis genius nunc fere magnarum utiliumq; scientiarum auctores non modo non agnoscit, verum insuper furiali conatu bono eorum ac laudi, quidquid potest, detrectans, ea, quæ nondum edoctus adorabat, postea viliter nauci facit, vel nota sibi dudum invidiose simulat, aut etiam à se inventa malitiose contendit. Magnam igitur totius hominis naturæ descriptionem, non nisi publico testimonio illustrem atque antea actis impensis aliquo modo respondentem expecta, interim hæc sinceri in te affectus argumenta læta fronte accipiens. Videbis hic quam, non opinionem, sed demonstrationem ad verum ductus dicti Chiliferi usum, & hepatis olim temere sepulti, nunc resurrecti necessitatem probandam ad lucam. Non verba sesquipedalia (quæ ignoro) spera; sed animi si placet ad rem verè, licet simpliciter explicatam attende, & intellecta utere foeliciter.

Cibus & potus salivoso mixti fermento in stomachum descendentes, ex eo cocti subactique ulterius ad intestina pergunt: per quæ distributi ac magis aliquantulum alterati separantur à potiori saburra, & diversis liquorum ductibus essentias suas dupliciter naturæ impertiunt. Succus ille qui sanguini futuro aptus est venas mezeraiicas ingreditur,

atque ibidem ex lege circulationis sanguini arterioso mixtus in venam portæ adscendit. Vena portæ illum in hepar transfundit, ubi à superflite impedimento liberatus aliquo modo fermentatur, & per venam cavam porro infunditur cordi, diciturque Chylus. Causa, quæ in mezenterium hunc succum propellit, naturalis circumjacentium partium est pressio & propria orificiorum in venis, particularumque in ipso forma, qua aliorum magis commode progredi impeditur: quæ propulsum retinet eadem pressio continuata ac valvularum, quæ in hisce venulis conspiciuntur, talis dispositio, quæ pergentem admittit remeantem prohibet, illa autem qua ad hepar & cor evehitur, causa, sanguis est arteriosus & cum dicta pressione aliqua ex parte unita circulationis lex. Quidnam porro eum in hepate cribratum subigat & quomodo, non hujus est loci, quo tantum jecoris necessitatem & veram Chyli viam revelandam suscepi. Sed hæc memorata, jam hoc quo dixi, nec alio fieri ordine, uti opponentibus omnem materiam suppressam, sic arguo. Canis bene pasti riteque ad opus præparati, abdomen discindo, in mezenterio arterias à venis separatas ligaturis compesco: Deinde reconfutum ventrem claudio, & horas 4. aut 5. relinquo intactum. Postea rursus apertum inspicio, interdum agonizantem cardiaco applicabili refocillans: atque ibi manifeste quicquid rei est comperio: nempe arterias infra ligaturas vacuas, & venas succo suboscuro, cinericeoque repletas conspicio. Hunc vere Chylum esse ejus cum sanguinis natura affinitas facillime evincit: namque uti sanguis, si non continuo fermento, caloreque efficiatur fluidus, mox coagulat; ita hic succus venis extractus aërique expositus horæ spatio vitri ab igne refrigerantis instar condensatur, contritusque splendet. Hoc cuiusvis experienti est obvium. Quod etiam hic admodum rudis adhuc certa quadam concoctione aut fermentatione à bili urinaeque sero separatus in hepate rudimentum sanguinis futuri nanciscatur, judicet is, qui in quovis animali vivo, aut mox à morte dissecto, infra hepar in vena portæ nunquam non reperiet densi & obscuri coloris substantiæque succum, cum ille qui hepar transiit in vena cava jam limpidus & rubricundus inveniatur, suæ alterationis testis evidens. Iam hinc collige num istud viscus ipsi sanguificationis (mitto alios in natura usus) fundamento dedicatum, inutile habendum sit: præterea illorum, qui chylum per venas lacteas in cor deduxere, errores annota, præsertim ubi ex sequentibus rorem nostrum, à chylo & sanguine plæque alienum liquorem noveris. Pergo igitur: liquor ille, quem,

abusu

ab usu, rorem dicimus, venas lacteas, per earum in intestinis aperta oscula, invadit & seorsim congregatis canalibus in duas vias se dividit. Illa ad glandulam quæ venæ portæ affigitur ducit, atque inde vasa lymphatica propagat jecori: altera in glanduloso mezentarii receptaculo convenit, unde totum corpus ramis evidentibus inferius superiusque instaurat. Cæteros ut missos faciam, illum qui ex mezentario versus superiora per diaphragma pergit, visum jam ex parte & perverte chyloferum nuncupatum saltem prosequamur, atque examinemus. Hic igitur ex dicto receptaculo & abdomine diaphragma perforat pleuramque perrepat & ad claviculas insurgit circa 5 aut 6 thoracis vertebra, ut ramulos aliquos magnæ arteriæ transmittat, breviter hians. A superiori costa porro canali quodam ad pericardium (quod plurimis tubulis, ut cor eo refocilletur & se moveat facilius, irrorat) trans pectoris glandulas pertingit: ex hisce glandulis etiam alio appendice inferius descendens alias duas, quæ asperæ arteriæ juxta pulmones incumbunt, glandulas invadit, atque adeo pulmones distillando reficit: sanguinemque in altero cordis ventriculo iterum ebullendum, ne areseat prorsus præservat. Præterea à jam dicta costa ambagibus quibusdã ampliatus circa venæ axillaris jugulariumque orgines instar labyrinthi, supra venam cavam in gyrum se torquet: receptaculumque tortuosum efficit: sub hoc, parvulo admodum calamo in cavam se aperit: atque mirabile istud fermentum venoso sanguini mixtum cordi præbet. Deinde dextram versus alio ramo rursus in pectoris glandulas à receptaculo decurrit: Superius quoque sinistras ad colli glandulas duobus tubulis pervenit: horum dexter in tres, sinister in duos canales dividitur. Et, ne distiguam omnia, denique in glandulas sputuitarias, lachrymales, pituitarias cæterasque omnes & ibique influit aut terminatur. Hæc ita, absque ulla hallucinatione & vera esse præsens figura partim demonstrabit; quia proprium descripti ductus situm ad vivum præ se fert: Hunc etenim, uti representatur hic, cani mortuo detraxi ac siccam balsamo conservavi, in ipsum modum, quo depictus est: partim etiam rationes luce meridiana clariores, ex liquore hoc ductu contento, sanguinem non fieri, uti spero, probabunt. Primo igitur cum natura sanguis sit coagulatorius, nihil commune habet cum illo liquore, qui nullo modo, etiam ex vena cava cochleari exemptus coagulabitur: Ast contra (scilicet transcolatus glandulis) per totum corpus, licet naturali calore destitutum, incognitis hæctenus tubulis ros lymphidus ac fluidus reperietur. Secundo cum exigua tantum illius pars

in cor infundatur impossibile est, ut concipiatur ea materia sufficiens restaurando sanguini passim spiritibus, noritura insensibilique transpiratione attenuato. Tertio, si liquor inclusus vasis lymphaticis pro chylo non habetur, cur hic, quæso, qui ex iisdem venis lacteis pari ratione progreditur, atque eodem modo in mezentorio per glandulas cribratur: & eadem substantia, ejusdem coloris, eidem fere usui in cor influit, ac alter hepar, dicatur Chilus? Quarto, considerandum venit (si chylus dici debeat hic liquor) Qualis futura esset eorum conditio, qui diuturna salivatione exhauriendo ductum, sanguini necessariò alimentum interciperent; quod absque evidenti virium ac corporeæ substantiæ amissione certe fieri non posset: Illis, tamen insignem quantitatem aquæ seu roris exstillantibus hujusmodi nihil accidere constat. Supremo adde his omnibus quod uti substantia ita & officico quam maxime distet à sanguine ros noster. Id quidem perceptu facile erit, si jam lachrymas, phlegmata, salivas, sudores, capillos, ungues ab illo proveniri, totumque corpus nutritioni ejus irroratione aptum reddi, omniaque naturæ fermenta ex eo derivari, ad oculum ostendatur: Quod quidem fiet (fieri autem per meum in dessectionibus citra sanguinis effusionem artificium, non dubitas) quando hisce specimenibus excitatos, dociles meæque fortunæ haud contrarios discipulos aliquando senserim. Nunc vero, ne excedat, epistolam meam hic abrumpam: tibi que omnia fausta præcatus pro clausula admoneam, uti in posterum Ductum hætenus Chyliferum, propria lymphæ rebaptizatum (si ita loqui liceat) roriferum appelles: Cæterumque me amare pergas: *Vale*.

Exclusæ Flandor. 15 Maji. Anno 1658.

LUDOVICUS de BILS à *Coppensdam*.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs, with some lines starting with capital letters. The ink is very light and the paper shows signs of age and staining.

Faint, illegible text, possibly a signature or a date.

Faint, illegible text, possibly a name or a title.